



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

591. An dictus Executor possit ante latam à se sententiam pro solutione pensionis ponere sequetrum in fructibus beneficii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

netur excedere partes executionis, etiam si in hoc articulo proferat sententiam in scriptis; cum hic modus pronuntiandi sit in ordine ad ipsam executionem. Ventrigl. n. 73. juxta dicta antè, quòd hic sit Judex mixtus.

Questio 590. An pari quoque modo procedi possit contra successorem, vel etiam heredem prædecessoris pro solvendis terminis decursis tempore prædecessoris?

Respondeo affirmativè: Dum nimirum adhibita diligentia, vel ea adhiberi non potuerunt contra prædecessorem, Lotr. l. i. q. 39. n. 149. ubi nihil est, quin si dicta diligentia, vel non potuerunt fieri, vel perfici contra prædecessorem defunctum, possint fieri, vel continuari, & consumi contra ejus heredem &c. Idem est de Successore, si facta diligentia etiam contra heredem, vel fieri non potuerint. Verumtamen, ut subjungit Lotr. n. 150. quocunque casu Judex, qui compellit Successorem in beneficio ad solvendum pensionis terminos decursos in vita decessorum, debet cavere, ut relinquatur congrua pro ipso titulari, & illa imprimis & ante omnia deducatur, ne qui altari servit, fraudetur debito ex eodem altari victu; licet enim ista exceptio non militet, ubi tractatur de solutione terminorum cedentium tempore suo, tamen recipienda est omnino, cum agitur de terminis decursis in vita prædecessoris.

Questio 591. An dictus Executor possit ante latam à se sententiam pro solutione pensionis ponere sequestrum in fructibus beneficii?

Respondeo negativè: Quia sequestrum est vtilis, & à lege, nimirum l. i. c. de prohib. sequestr. prohibitum; & ante condemnationem beneficiarii, ejusque causæ examinationem, non est justum, illum afficere illa pænâ, utpote medio illo odioso, & à lege prohibito. Castrop. loc. cit. n. 16. Garc. p. i. c. 5. n. 83. recitans pro hoc decis. Rota in Cesar. august. pens. 4. Novemb. 1594. Latâ verò sententiâ (intellige, declaratoriâ incursâ excommunicationis) & condemnato beneficiario ad solutionem pensionis, poterit Executor pro faciliore executione ponere sequestrum in beneficii fructibus, ut ex iis satisfiat pensionario; cum non gravetur hoc sequestro beneficiarius, utpote in cujus voluntate situm, tollere illud sequestrum, nimirum satisfaciendo pensionario. Castrop. loc. cit. Garc. n. 84. Idem posse fieri à subexecutore, utpote cui Executor absolute vires suas committit pro executione pensionis, tradit Garc. loc. cit. n. 85. contra Flores de Mena & Cantium de Pens. Episcop. cenientes subexecutorem ex clausula ceterum non posse procedere executivè contra bonâ debentis pensionem; quia hoc ipsum ei commissum non sit, sed solum posse eum publicare censuras fulminatas à Papa, seu ab Executorè in processu fulminato in casu non solutionis, & denunciare debitorem excommunicationem, & præcipere aliis, ut eum denuncient, & devitent.

Questio 592. Quæ pænâ statuta non solvendi pensionem?

Respondeo: Pænâ hanc esse duplicem, nempe Excommunicatio, & privatio beneficii, cum

potestate concessa pensionario regrediendi, vel accedendi ad illud beneficium; ut constat ex literis, quibus reservari solet pensio, in quibus sic inquit Papa: volentes, & eadem auctoritate statuentes, quòd ille, vel quisunque alius successor, qui in dictis terminis festivitatis nimirum natalis Domini, & natalis S. Joannis, vel intra 30. dies earum singulas, seu immediatè sequentes pensionem prædictam per eum tunc debitam non solverit cum effectu, lapsis iisdem diebus sententiam excommunicationis incurrat, à qua, donec tibi, vel eidem procuratori de pensione hujusmodi tunc debita integrè satisfactum, aut aliàs tecum, vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si verò per 6. menses dictos seu 30. dies immediatè sequentes sententiam ipsam, animo, quod absit, sustinuerit obdurato, ex tunc effluxis mensibus iisdem, dicto beneficio perpetuò privatus existat; illudque vacare censeatur, tibi que eò ipso liceat ad illud beneficium liberum habere regressum, & liceat etiam vigore prioris tui tituli possessionem propriâ auctoritate apprehendere, ac si illud minime resignasset, &c.

Questio 593. An, & qualiter incurrantur hæc pænâ ipso facto?

Respondeo primò: Eatenus tantum non soluta pensione in præfixis ei terminis, eò ipso incurritur excommunicatio, & privatio beneficii, quatenus pensionarius declarat, se ita velle, adeoque non nisi dependenter ab ejus voluntate, ejusdemque declaratione; cum enim non nisi in favorem pensionarii hæc pænâ statuta, ejus utique voluntati attemperantur, ita ut non solum eas non incurrat titularis, pensionario præfixum solutionis terminum expressè prorogante, aut etiam non volente, ut non factâ solutione intra præfixum tempus eas incurrat, verum etiam quamdiu voluntatem illam, quâ vult, eum illas incurrere, non declarat: quippe tamdiu ex recepto stylo & consuetudine censetur esse permissiva dilationis. Paris. l. 6. q. 2. n. 139. Gonz. gl. 56. n. 54. (qui etiam addit, ad talem declarationem faciendam per procuratorem titularis, ei opus esse speciale mandatum, sine quo procurator generalis talem facere declarationem nequit, uti idem ex eo tradit Castrop. Paulò post citand. n. 2.) Garc. p. i. c. 5. n. 81. Castrop. de beuss. d. 1. p. 11. §. 7. n. 1. citans Suarez. to. 5. de cens. d. 20. f. 2. n. 10. Tolet. in sum. l. i. c. 9. editionis Romana. Nav. in sum. c. 23. n. 103. Proceduntque hæc ipsa, etiam si de cetero litera pensionis jam intimata titulari, Garc. cit. n. 81. ad instrium.

2. Respondeo secundò: Ex stylo: & benigna interpretatione declaratio hæc voluntatis pensionarii intenditur, ut titularis termino præfixo non solvens ligetur excommunicatione, existatque privatus beneficio, debet esse juridica, & titulari intimata solenni notificatione; adeoque dicta declaratoria incursus excommunicationis debet esse data per Judicem, quâ dein utatur pensionarius, intimando illam titulari solenniter; quippe sententia excommunicationis, de qua in literis pensionis, indiget sententiâ declaratoriâ Judicis, & non sufficit voluntas privata partis. Garc. loc. cit. n. 82. Castrop. loc. cit. n. 2. citans Suar. & Navar. ubi antè.

3. Respondeo tertio. Sed neque ad istiusmodi declaratoriam incursus pænarum ex voluntate tua procedere potest pensionarius, antequam elapsus sit mensis, seu 30. dies à termino solutionis juxta tenorem literarum. Garc. loc. cit. n. 75. Ventrigl. to. 2.